

clesia quam nunquam liceat deserere, vera profectò est: atqui juxta sanctos Patres, Ecclesiam aliis omnibus antiquiorem nunquam licet deserere, ut patet ex dictis; tum quia, si societas minus antiqua esset vera Christi Ecclesia, eam aliquando extinctam fuisse, et deinde suscitatum oporteret: atqui Ecclesia Christi nunquam potest deficere, ut ex dicendis manifestum erit; ergo, etc.

Prob. 3^o. ex institutione Ecclesie. Vera Ecclesia ea est, quam Christus instituit, et Apostoli propagaverunt: atqui hæc Ecclesia non alia est quam Catholico-Romana: vel enim fuit à Christo instituta, vel ab hominibus postea ortum habuit: atqui illud posterius absurdum est; namque, ut ait Bellarminus: *In omni insignis Religionis mutatione semper demonstrari possunt, tum ipsius autor, tum dogma aliquod novam, tum tempus quo capit, tum locus ubi capit . . . Ut exemplis rem illustremus: 1^o. novimus Ariane hæresis autorem fuisse Arium Presbyterum Alexandrinum; Nestorianæ Sectæ, Nestorium Episcopum Constantinopolitanum: 2^o. novimus quæ dogmata invexerint: Arius enim docuit Filium Dei meram esse creaturam: Nestorius duas esse in Christo personas: 3^o. non latent tempora: capit Ariana hæresis anno 324; Nestoriana, anno 431; 4^o. non ignoramus loca: ortus est Arianismus in Ægypto, Nestoriana hæresis in Thracia, Lutherana in Saxonia: atqui nihil horum de Ecclesia Romana assignari potest. (De Notis Eccl. c. 5.) Ergo etc.*

Prob. 4^o. ex stupenda Ecclesie Romanæ propagatione. Longè latèque diffunditur: atqui illud cupus est Dei, non hominum; gratiæ, non naturæ. Nam 1^o. vi strepituque armorum gentes non domuit nec pervasit, ut Mahumetismus; 2^o. non sustulit, ut Socinianismus, quidquid in Christianis dogmatibus rationi impervium est, neque ut Protestantismus, quidquid in Christianis legibus libidinali contrarium; 3^o. juxta Pseudo-Reformatos,

spiritalem exercet tyrannidem, quæ certò potius debet homines ab ea avocare, quam ad eam adducere: Romanam itaque Ecclesiam nec vis propagavit, nec juvit ars politica aut libido; ergo absque susidiis humanis diffusa est, ac proinde opus Dei censeri debet.

CAPUT IV.

De Ecclesie proprietatibus.

ILLÆ sunt potissimum Ecclesie proprietates, ut semper sit visibilis, et nunquam defectura; de quibus totidem in articulis disputandum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ecclesie visibilitate.

Vera Christi Ecclesia non ideò tantum visibilis dicitur, quòd intuentium oculis pateat: nulla enim fuit unquam hæreticorum secta, quæ hoc modo aspectabilis non fuerit; sed eo maxime sensu, quod splendidis quibusdam characteribus ita emineat, ut, præ omnibus hæreticorum societatibus conspicua sit, et ab iis facile secernatur. Ecclesiam esse perpetuò visibilem, primum asseruere Protestantes in variis suæ fidei confessionibus quas citat illustrissimus Bossuet: (*Variat. Lib. 15.*) at verò, cum urgerentur à Catholicis postulantiibus, ubinam videretur Reformatorum Ecclesia ante Lutherum et Calvinum, ut ex illa difficultate, quæ sanè gravissima est, sese expedirent, dixerunt ex iis nonnulli Ecclesiam esse quidem visibilem; sed ita ut certis temporibus penè extincta sit; et in paucis fidelibus prorsus lateat.

PROPOSITIO.

Vera Christi Ecclesia quolibet tempore est visibilis.

Prob. Ecclesia quovis tempore talis esse debet qualis in Scripturis promittitur et describitur: atqui Ecclesia in Scripturis, ut maximè visibilis, prænnuntiat; nam 1°. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, at elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* (Isa. cap. 2. v. 2.) Porrò domus in vertice montium posita, maximè est conspicua; atqui Ecclesia per hujusmodi domum in Scripturis adumbratur, ut exponit Hieronymus. (Tom. 3. p. 21.) 2°. Eandem ferè comparationem sic adhibet Christus: *Non potest, inquit, civitas abscondi supra montem posita.* (Matth. 5. 14.) atqui hæc verba de Ecclesia interpretatur Augustinus, qui Donatistas ita alloquitur: *Non estis in civitate super montem constituta, quæ signum certum hoc habet, quòd abscondi non potest.* (Lib. 2. contra litteras Periliani. n. 239.)

3°. *In sole, ait Psalter Regius, posuit tabernaculum suum;* (Psalm. 18.) atqui ipsa est Ecclesia in sole posita, inquit Augustinus, hoc est, in manifestatione omnibus nota, usque ad terminos terræ. (Epist. 106. n. 14.) 4°. Jubeat Christus Ecclesiam adiri, ubi fraterna correctio, ob delinquentis contumaciam, nihil proficit: *Dic Ecclesie, si Ecclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethnicus et Publicanus.* (Matth. 18. 17.) Atqui societas, quæ consuli debet et cujus sententiæ obtemperandum est, semper visibilis sit necesse est.

Præterea perpetuum ministrorum ordinem in Ecclesia Christus instituit: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum in adificationem corporis Christi.* (Ephes. 4. v. 11. et 12.)

Porrò tam visibilis est Ecclesia, quàm Pastores et Doctores in ea constituti: atqui perfectò illi pastores sunt visibiles; cujus enim utilitatis essent Pastores et Doctores invisibiles? ergo, etc.

Denique legitur in Symbolo Articulus de Ecclesia Catholica: atqui nomine Ecclesie, in Symbolo intelligitur societas visibilis: nam voces ex quibus constat Symbolum, juxta vulgarem obviamque significationem accipi debent; alioquin imperiti et simplices symboli sensum non caperent, et facillè deciperentur: atqui nomen Ecclesie, utinam probat Bossuet in libro cui titulus, *Conférence avec M. Claude*, juxta vulgarem notionem acceptum, indicat societatem visibilem. Cujus rei testes sunt ipsimet Protestantes. Vocem enim Ecclesia, juxta vulgarem significationem usurpant, cum loquuntur de precibus Ecclesie, de Disciplina Ecclesie, de Doctrina Ecclesie, de Sacramento et pastoribus Ecclesie: atqui Ecclesia quæ adhibet preces, prædicat Doctrinam, confert Sacramenta, à Pastoribusque regitur, procul dubio visibilis est; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Quod creditur, non videtur: atqui Ecclesia creditur. Sic enim fert Symbolum: *Credo unam et Sanctam Ecclesiam;* ergo Ecclesia non est visibilis.

Resp. Dist. maj. Sub eodem respectu, conc. maj. sub diverso, neg. maj.

Scilicet res eadem potest sub uno respectu videri, et sub aliocredi. Sic baptismus, quatenus est ablutio exterior, conspicitur; quatenus verò Sacramentum est, gratiam conferens, creditur: quapropter in Symbolo dicitur: *Confiteor unum Baptisma:* sic etiam Apostoli humanitatem Christi videbant, eam verò hypostaticè Verbo divino conjunctam esse credebant; pariter in Ecclesia aliud videtur, nempe societas hominum eandem

idem sibi legitimis Pastoribus, profitentium; et aliud creditur, nimirum societatem hanc veram esse Christi Ecclesiam.

Obj. 2°. Si vera Ecclesia eo quo diximus modo visibilis esset, jam nulli bonâ fide extra veram Ecclesiam degerent, sed in eam omnes convolerent: atqui tamen utrumque falsum est; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Nam 1°. licet Ecclesia sit maxime conspicua, illius tamen characteres non ita per se innotescunt, ut expositione aliquâ non indigeant: 2°. fieri potest, ut quamvis plana sit et obvia veræ Ecclesiæ cognitio, multi tamen in ipsius sinu sese non recipiunt; ratio est, quod præjudicia et cupiditates à credenda et amplectenda veritate, licet manifesta, sæpius detereant unitatem Dei v. g. idolorumque vanitatem cognoscere nonne semper facile fuit? atqui nihilominus multi olim, imò, omnes fere homines, veri Numinis unitatem abjicientes, idolis turpissimè servierunt.

Obj. 3°. S. Augustinus sic affirmat: *Ecclesia aliquando obscuratur, et obnubilatur multitudine scandalorum: (Epist. 93. n. 30. ad Vincentium.)* ergo tunc desinat esse visibilis.

Resp. Neg. conseq. Hic enim loquitur Augustinus de scandalis quibus occasionem dederunt Ariana Hæresis, et Constantii Imperatoris adversus Catholicos crudeliter vexationes. Tunc autem visibilis esse non desinit Ecclesia, quia non intercisa fuit Pastorum successio, quâ maxime conspicua est Christi Ecclesia. Qua dere audiamus illustrissimum Bossuet: *Hæc scandala, inquit, confiteri, et alia etiam majora expectamus postremis mundi temporibus, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. (Matth. 24. 24.)* Quæcumque verò exitura sint scandala, pernegamus fore ut desinat Pastorum successio, qui Sacramenta administrent, qui verbum Dei prædicent, et quibus semper adfuturam se Christus promisit

Hujus interruptionis ne umbram quidem offerunt facta quæ Liberium et Concilium Ariminense spectant, quamvis ea verbis plurimum exaggeret D. Claude... At, inquit hic Minister. Il y eut des Evêchés où plusieurs Prélats se succéderent l'un à l'autre, également Hérétiques. Quid verò undè concludere potest, cum ista successio nihil aliud fuerit, quàm continuata violentiæ effectus? Exilium Athanasii, Hilarii aliorumque illustrium Præsulum, suas ipsis sedes non auferbat, nec quidquam juris in eas invasoribus conferebat, Populus legitimis suis Pastoribus fide colligatus erat, quamcumque in mundi regionem eiecit fuerant. Semper igitur stabat successio. (Seconde Instruction Pastorale sur les promesses de l'Eglise, p. 237 et suiv. édit. in 12. de Paris 1700.)

Eandem hanc difficultatem sic explodit clarissimus Nicole; *Ce nuage que causa dans l'Eglise l'Hérésie des Ariens, ne fait aucun préjudice à sa visibilité, ni à son étendue; et c'est sans raison et sans apparence que Mr. Claude nous demande: quelle étendue visible pouvoit avoir la communion orthodoxe du temps des Ariens? Car l'Eglise avoit la même étendue qu'elle avoit auparavant, et la même visibilité... les Chrétiens de ce temps-là avoient devant les yeux le Concile de Nicée, et tous les Conciles qui l'avoient approuvé depuis; et il leur étoit aisé de connoître que la foi étoit presque dans tout l'Occident, que le Concile de Rimini n'avoit changé la foi de personne, que l'Eglise étoit répandue dans tout l'Orient, quoiqu'elle y fût opprimée par diverses hérésies. Est-ce que l'on croit que l'Eglise Catholique d'Angleterre n'ait aucune étendue visible, parce qu'elle y est cruellement opprimée par les Puritains et les autres sectes?...*

Cette étendue visible n'est pas une splendeur temporelle, comme il semble que Mr. Claude se l'est imaginé. L'Eglise est souvent d'autant plus éclatante aux yeux de la foi, qu'étant plus accablée par les Puissances du monde, et plus d'innée d'appuis hu-

main, elle subsiste par la force et la vérité et par le secours de Dieu, comme elle a subsisté du temps des persécutions des Empereurs, ou Pâiens, ou Héretiques. Il suffit pour être visible qu'on sache qu'elle est, et que ceux qui la veulent chercher, la puissent trouver sans difficulté pour peu qu'il aient de sincérité.

C'est pourquoi, ces temps de nuages et d'obscurcissement ne sont tels qu'à l'égard des âmes terrestres et sensuelles; et ce sont souvent des temps de splendeur et d'éclat, à l'égard des spirituelles et éclairées. Ils emportent la paille de l'Eglise, et ils font paroître le froment qui étoit couvert, enveloppé de cette paille. (Les prétendus réformés convaincus de Schisme, 2. part. chap. 13.)

Obj. 4°. Quandoque obscurum est quam ex parte stet veritas, ut contigit in controversia quæ Stephanum inter et Cyprianum de Baptismate olim mota fuit ergo tunc latet Ecclesia.

Resp. Neg. conseq. Tunc enim iisdem Ecclesia membris constat, quibus antea ad eam scilicet pertinent ex utraque parte litigantes: modò singulas veritates ab Ecclesia definitas profiteantur, et ipsius iudicio reverenter obsequi parati sint, ubi de quæstione circa quam dissident pronuntia-verit. Unde Ecclesiæ membra pariter fuerunt, et qui cum Stephano credebant valere baptismum ab Hæreticis ritè collatum, et qui illud dogma cum Cypriano impugnabant. Utrique enim in admittendis veritatibus ab universali Ecclesia definitis consentiebant, et decretoriam ipsius de illa controversia sententiam expectabant; ergo, etc.

ARTICULUS II.

De Ecclesiæ perpetuitate.

Perpetua Ecclesiæ duratio tot et tam clarè illustratur argumentis, ut inter Hæreticos paucissimi

eam expressis verbis inficiari ausi fuerint. Berengarius seculo undecimo; teste Ratramno, in opusculo de Eucharistia, eò temeritatis prorupit, ut Ecclesiam, non modò interire posse, sed, propter admissam realem in Eucharistia corporis Christi præsentiam, revera interiisse asseruerit. Ecclesiæ perpetuitatem in variis fidei suæ confessionibus statuerunt Protestantæ, et maxime in Augustana, articulo septimo.

Id autem de Ecclesia quadam invisibili intelligendum esse tradunt: quam sententiam paululum emollivit, et temperavit Claudius. Docet 1° aliquando contingere, ut nulla sit externa et visibilis societas, quæ erroribus non scateat; 2° tunc veram fidem in nonnullis oculis que fidelibus superstitem remanere, qui à solo deo cogniti sunt, et in partem erroris non veniunt; ideòque dicuntur veri fideles; 3° olim in Ecclesia Romana latuisse veros ejusmodi fideles, qui perversam rejiciebant illius doctrinam, de præsentia reali Christi in Eucharistia, de Sanctorum invocatione, de cultu imaginum; et in occultis illis fidelibus servatam fuisse Ecclesiam; 4° Ecclesiam hoc sensu perpetuò esse visibilem, quòd semper appareat quædam societas quæ, licet errorem profiteatur, veros tamen fideles continet, et de qua dici possit, *hic sunt veri quidam fideles*; quemadmodum de area paleis referta, in quibus latent quædam tritici grana dici potest, *hic sunt quædam tritici grana*. Hanc Claudii hypothèsim exponunt, refelluntque Bossuet, in historia variationum, (lib. 10.) et Nicole, lib. de Schismate Reformatorum, (Lib. 2. cap. 10. et lib. 3. cap. 1.)

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia perpetua est

Prob. 1° ex Scriptura. Sic enim prænunciatur: *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quòd in æternum*

non dissipabitur et ipsum stabit in æternum. (*Daniel. cap. 2. 44.*) Illud Dei Regnum, ipsa est Christi Ecclesia, ut constanter intelligunt Interpretes: atqui perpetuum erit Dei Regnum; ergo et Ecclesia. Sic etiam testatur Christus: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: (*Math. 16. 18.*) atqui tamen portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, si unquam interitura esset; ergo nunquam deficiet. Denique, Euntes, docete omnes gentes, inquit Christus, baptisantes eos. et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. (*Ibid. cap. 28. v. 19. et 20.*) Hic promittit Christus se Apostolis, eorumque successoribus, semper adfuturum, ipsis, inquam, docentibus et Sacramenta ministrantibus; ac proinde nunquam deerunt Pastores veram doctrinam proponentes et Sacramenta legitime conferentes; ergo ad finem usque sæculi æderit populus fidelis, qui veram suscipiat doctrinam legitimisque utatur Sacramentis; ergo ad interitum usque mundi permanebit Ecclesia.

Prob. 2º. ex Patribus. Ecclesiam vincere nulla vis potest, inquit Chrisostomus; Dei est Ecclesia quæ est omnibus fortior; (*Homil. cum de ejus expulsionem ageretur tom. 3. pag. 419.*) Super (petram) fundata Ecclesia, ait Hieronymus, nullo turbine, ventisque subvertitur (*in cap. 5. Isa.*) Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, inquit Augustinus, (*in Psalmum 60. n. 6.*) Idem Doctor Donatistam inducit dicentem: Illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, perit: Deinde sic exclamat: Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illa non es! Vide ne tu idem non sis; nam illa erit, etsi tu non sis. In *Psal., 101. concion. 2. n. 8.*)

PROPOSITIO I I.

Ecclesia non potest in quibusdam tantum fidelibus occultis consistere, ut fingit Claudius.

Prob. 1º. Exdictis, Ecclesia semper est visibilis, et quidem eo modo, quem sibi vindicare nequeat alia quælibet Hæreticorum secta: atqui secta quælibet, quantumvis exigua et novella, eo modo se visibilem esse, gloriari potest, quem excogitavit Claudius; nulla enim est, quæ dicere non valeat, in communionem Romanam semper extitisse quosdam Fideles occultos, idem cum ipsa sentientes; ergo, etc.

2º. Eam ob causam Christus voluit Ecclesiam esse perpetuo visibilem, ut ad illius cognitionem semper pervenire possent homines: atqui in hypothesis Claudii innotescere non potuit Ecclesia; neque extraneis siquidem in quibusdam Fidelibus soli Deo cognitis consisteret; neque etiam occultis illis Fidelibus, in quibus tamen solis sita esset Ecclesia: nam sibi invicem sunt incogniti: aliunde ipsimet nesciunt utrum ad Ecclesiam pertineant, siquidem ignorant an veram habeant fidem, imò judicare debent se probabiliter errare, utpotè qui hanc teneant animo doctrinam, quam a nemine vident propugnari, sed ab omnibus ferè rejici; ergo, etc.

3º. Fingit Claudius veros Fideles, qui ante Reformationem in Ecclesia Romana latuerunt, occultos fuisse, simul et errorum Ecclesiæ Romanæ expertes: atqui illud absurdè prorsus fingitur: ut enim illorum errorum nullo modo participes fuerint, nunquam coram Hostiâ consecratâ genibus procumbere debuerunt; nunquam Sanctos invocare; nunquam Sacerdotibus peccata confiteri; nunquam sacrum Viaticum, vel Extremam Uncionem suscipere; siquidem, tum in peccatorum cõ-

fessione, tum in Viatico et Extrema Unctione administrandis invocantur Sancti: atqui non potuerunt ab iis omnibus abstinere, quin tandem manifestos se fecerint. Præterea fideles illi incogniti, vel errores quos ipsis audientibus palam prædicabant Ecclesiæ Romanæ pastores, exterius improbârunt, vel approbârunt, vel neutrum fecere: si primum, jam non latuere, sed potius innotuerunt; si secundum, à vera fide exciderunt, juxta Reformatos; si tertium, veram fidem etiam abnegasse censentur: error enim, cui non resistitur, aprobat; ergo omnino absurda est illorum fidelium occultorum hypothesis, à Claudio excogitata.

4^o. Si, ante Reformationem, occulti quidam Fideles, Protestantium doctrinam clam tenuissent, certè nonnulli ex iis; qui deindè reformatis sese adjunxere, professi essent se antea Lutheri et Calvini dogmata clanculum credidisse: atqui nullus hujusmodi fuit. Hujus enim facti memoriam diligenter servassent Protestantes, ut procul à seipsis novitatis repellerent notam; atqui tamen hoc nullus refert Historicus, nulloque constat monumento; ergo undique ruit Claudii systema.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Tam deficere potest Ecclesia, quam Synagoga: atqui Synagoga aliquando defecit, v. g. tempore Eliæ, qui apud Deum sic conqueritur: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærent animam meam, ut auferant eam.* (Lib. 3. Reg. cap. 19. v. 10.) Ergo etiam deficere potest Ecclesia.

Resp. 1^o. Transeat maj. Quanquam enim usque ad Christum perseverare debuerint Lex et Prophetæ, nullibi tamen dictum est, portas inferi adversus Synagogam non prævalituras; hæc autem promissione Deus Ecclesiam suam præmunivit.

Resp. 2^o. Neg. min. Numquam enim omnino

defecit Synagoga; sed veros semper habuit Dei cultores, licet propter multorum ipsius membrorum idololatriam, sæpius obscurata fuerit; nec obstat Eliæ lamentatio; loquitur enim de Regno Israël, non de regno Juda; ubi maximè florebat vera Religio. Eo scilicet tempore regnabat in Juda Josaphat, de quo dicitur: *Fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis.* (2. Paralip. cap. 17. 3.) Pius ille ac religiosus Princeps Doctores instituit, qui cunctas urbes perlustrarent, et Populum legem Dei edocerent; quinimò nec in Regno Israël defuerunt homines veræ Religionis tenaces; hoc enim responsum à Deo accepit Elias; *Derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* (Reg. 19. 18.) Cum igitur ait Elias, se relictum esse solum, illud eo sensu intelligendum est, quòd solus superesset veri Dei Propheta, ut ipse narrat: *Ego remansi Propheta Domini solus,* (ibid. cap. 18. 22.) quia nempe aut alii à Jezabel occisi fuerant, ut putabat Elias, aut in captivitate ita detinebantur, ut veri Dei causam defendere non possent.

Obj. 2^o. defecit Ecclesia, moriente Christo; tunc enim fugerunt Apostoli, et à fide exciderunt quam incredulitatem ipsis exprobravit Christus reddivivus, ergo Ecclesia potest deficere.

Resp. Neg. ant. Tunc enim temporis Maria Virgo fidem servavit illibatam; servaverunt et Apostoli, ita ut propter scandalum mortis Christi, ab ejus doctrina non desciverint. Præterea, si, moriente Christo, fugerunt Apostoli, numquid ab eo defecerunt fratres illi plusquam quingenti, quibus post suam resurrectionem sese conspiciendum præbuit? Tunc tamen vix formata erat Ecclesia; nondum instituta erant omnia Sacramenta; nondum datus erat Spiritus sanctus, quo Christus corpus suum mysticum roboravit: si ergo Ecclesia vix nata, in suis primitiis non defecit,

quantò minùs defectura est, postquam eam Christus, sapiens ille architectus, supra firmam petram promissisque et donis tam magnificis stabilivit!

Obj. 3^o. Paulus, *diem Domini*, id est, secundum Christi adventum, non affuturum docet, nisi venerit *discessio primùm*, et *revelatus fuerit homo peccati*, sive Antichristus; (2. *Thessal. cap. 2. 3.*) atqui *discessionis* nomine, intelligi debet apostasia universalis; ac proindè ante finem mundi deficiet Ecclesia.

Respondeo, germanis ratiociniù legibus nihil magis adversari, quàm contra veritatem, Scripturis et Traditione apertè demonstratam, quale est de Ecclesiæ perpetuitate dogma, obijcere textum aliquem obscurissimum: quid enim est illa *discessio* de qua loquitur Apostolus? quo sensu accipienda sit disputant interpretes; sed, etiamsi hoc nomine intelligeretur *discessio à fide*, nihil proficiet adversarii, nisi probaverint Apostolum hic loqui de universali et integra à fide defectione; quo pacto autem id consequi poterunt? Numquid ex textu proposito? sed *discessionem* generatim sumptam exhibet, nec definit an universalis, an particularis futura sit. Numquid ex aliis Scripturæ textibus? sed perpetuitatem Ecclesiæ dilucidè exprimunt, ut ex illis patet quos protulimus; ex objectis igitur Apostoli verbis, adversus dogma quod defendimus, nihil colligi potest.

Leve est etiam quod à nonnullis obijcitur, scilicet Ecclesias particulares deficere posse, et multas reverè defecisse; ac proindè fieri posse, ut tota pereat Ecclesia: prorsùs, inquam, debile est hujusmodi argumentum: quemadmodùm enim ex eo quòd Episcopus quilibet, seorsim sumptus, errori sit obnoxius, non sequitur totam, unanimumque Episcoporum collectionem, in iis errare posse; quæ ad finem moresque pertinent, ita pariter, licet Ecclesiæ particulares, seorsim spectatæ, deficere possint, malè concluditur totam

interire posse Ecclesiam; scilicet Christus Ecclesiæ universali perpetuam durationem promisit, non verò particularibus Ecclesiis.

Obj. 4^o. Sic prænnuntiat Christus: *Verumtamen Filius Homini veniens, putas, inveniet fidem in terra!* (Luc. 18. 8.) ergo priusquàm veniat Filius Homini, deficiet fides, ac proindè Ecclesia.

Resp. His verbis non universalem fidei interitum, sed *credentium* paucitatem significari. Christus enim non assertit, nullam à se invenientem fidem, cum orbem judicaturus venerit, sed per modum interrogationis ait: *Filius Homini veniens, putas, etc.* quæ loquendi ratione indicat, ultimis illis et periculosis temporibus paucissimos fore, qui fidem retineant illibitam. Sic verba Christi intelligant ipsi Protestantes necesse est, nisi tunc prorsùs defecturam velint suam Ecclesiam invisibilem, perindè ac visibilem.

Obj. 5^o. Sæviente Constantii persecutione, Ecclesia defecit: omnes enim penè Conciliorum Ariminensis et Seluciensis Patres in Hæresim Arianam lapsi sunt, formulam approbandam ab Arianis concinnatam, ex qua vocem *consubstantialis* deleverant, à Synodo generali Nicæna, ad exprimentum dogmæ Catholicæ, consecratam. Præterea Ariminensi formulæ adjunctum erat istud anathema: *Si quis creaturam Filium Dei dixerit, ut sunt ceteræ creaturæ, anathema sit.* (Con. Arimin. edit. Harduini, columna 175.) Undè sanctus Hieronymus sic habet: *Tunc, inquit, ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* (Dialog. adversus Luciferianos, tom. 4. edit. D. Marianai, colum. 300.) Ergo Ecclesia potest deficere.

Resp. Neg. ant. Si enim Ariminensem formulam Catholicò sensu exponere nihil vetat, etiamsi omnes penè Ariminenses Præsules eam approbaverint, ipsos Arianam Hæresim amplexos esse, totamque periisse malè Ecclesiam concluderetur:

atqui Ariminensis formula Catholicum ad sensum revocari potest. Eam enim his verbis enuntiatam refert ibidem Hieronymus; *Credimus in unigenitum Dei filium, qui ante omnia secula, et ante omne principium, natus est ex Deo, similem genitori suo Patri, secundum Scripturas, qui de Cælo descendit, etc.* atqui hæc verba sensu obvio accepta, Christi divinitatem, ipsiusque cum Patre perfectam æqualitatem expriment; hinc ab eodem Hieronymo formula Ariminensis dicitur, *nomine unitatis et fidei scripta infidelitas cujus expositionis superficies nihil sacrilegum proferret.* (Ibid. col. 299.) Eam imperfectam tantum et æquivocam appellandam esse agnoscit Bossuet; cum enim in suo colloquio hanc *erroneam* vocasset, in ejus editione istam aposuit notam: *Je devois dire équivoque et imparfaite, plutôt qu'erronée.*

Præterea formula Ariminensis Catholicum sensum non refugeret, nisi vel propter omissam vocem *Consubstantialis*; à Nicæna Synodo consecratam, vel propter annexum istud anathema: *Si quis creaturam Filium Deo dixerit, ut sunt cætera creaturæ, anathema sit:* atqui 1º. non obstat vocabuli *Consubstantialis* prætermisio; tum quia antequam vox illa à concilio Nicæno fuisset usurpata, dogma Catholicum exprimi poterat; tum quia in Apostolorum et Athanasii Symbolo Christi divinitas adstruitur, omisso nomine *Consubstantialis*; tum quia S. Athanasius eos ut fratres agnoscit, qui rejecto *Consubstantialis* vocabulo, rem verbo significatam admittebant: *Viros autem, inquit, qui de solo Consubstantialis vocabulo imbigunt, non ut inimicos spectari par est. . . . sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem, quæ nos, sunt sententiâ, solo nomine in controversiam adducto* (Lib. de Synodis. n. 41.) Ergo 1º. vocis *Consubstantialis* prætermisio non obstat, quominus formula Ariminensis ad sensum Catholicum revocari possit.

2º. Non obstat etiam prædictum anathema; formula enim immeritò diceretur hæretica, propter anathema quo configitur propositio hæretica, atqui nemo negaverit hæreticam esse hanc propositionem: *Filius Dei est creatura, ut sunt cætera creaturæ;* ergo propter hanc propositionem anathemate percussam, formula Ariminensis appellari non potest hæretica.

Quod spectat ad Hieronymi pronunciatum, miratur dicitur orbis se Arianum esse, non ex rei veritate, sed ex falsa Arianorum jactatione; scilicet cum Patres Ariminenses, oblatæ sibi fidei formulæ subscripsissent, in qua reticebatur vox, *Consubstantialis*, Ariani rumorem undique disseminarunt, Episcopos Catholicos non aliter ac ipsos sentire, quod tamen falsum erat; alioqui se Arianos esse non obstupuisent; nemo enim miratur se credere quod reverà credit.

Contestabantur, inquit Hieronymus, corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in hac fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec. . . . aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. (suprà col. 201.)

Certum est igitur Episcopos Ariminenses à fide Catholica non recessisse, nec Arianam Hæresim approbasse, ut in proposita objectione supponitur. In eo tamen graviter peccarunt, quod partim tædio, partim metu, victi, Nicænam fidei professionem eâ, quæ par erat, animi firmitate non defenderint, et quod ambiguae subscripserint formulæ, quæ eò spectabat, ut veritatem Catholicam labelactaret.

Quæres 1º. an, sicut Ecclesia deficere non potest, ita quælibet veritas revelata deficere non possit, sed perpetua esse debeat.

Resp. Ecclesiam semper omnes et singulas verita-

tes revelatas ita docet, ut quælibet perpetua sit; nec unquam possit in Ecclesia deficere; si quæ enim veritas revelata in Ecclesia interiret, jam non esset *columna et firmamentum veritatis*; jam portæ inferiadversis eam prævalerent: atqui contrarium ex Scripturis constat. Et verò si una veritas revelata posset in Ecclesia deficere, cur non duæ, tres, quatuor, uno verbo, omnes?

Quæres 2^o. an Ecclesia semper omnem et quemlibet veritatem revelatam per suam universalitatem edoceat.

Priusquam solvatur hæc quæstio, nonnulla sunt præmittenda: annotandum est 1^o. ex veritatibus revelatis, alias esse, quæ ab Ecclesia definitæ sunt et tanquam revelatæ Fidelibus propositæ; alias verò, quæ non ita definitæ sunt; 2^o. Veritatis alicujus revelatæ definitionem posse controversiarum æbulis obscurari, et à plurimis in Ecclesia; ipsâ tolerante, impugnari; cujus rei illustre exemplum videas in definitione, quâ Concilium generale Constantiense declaravit Synodum Œcumenicam esse Romano Pontifice superiorem. Decretum enim illud disputationibus et contentionibus obnubilatum est, à multisque impetitur; 3^o. veritates revelatas, omnes quidem et singulas ad fidem pertinere; sed tamen eas tantum esse fidei Catholicæ articulos, quæ ab Ecclesia definitæ sunt, et quarum definitiones eam quam diximus obcuritatem non expertæ sunt. Quibus prænotatis,

Resp. 1^o. Ecclesia omnes et singulos fidei Catholicæ articulos per suam universitatem semper edocet; quod quidem apertum est, cum fidei Catholicæ articuli non sint nisi veritates, quas tenet Catholicorum universitas, et eo ipso Catholicus esse desinat, qui aliquid pertinaciter defendit, contra veritates firmâ omnium consensione acceptas.

Rep. 2^o.

Resp. 2^o. Ecclesia omnem et quamlibet veritatem revelatam non semper docet per suam universitatem. Sic temporibus sanctorum Cypriani et Stephani, universo consensu non docuit dogma revelatum, de Hæreticis iterum non baptisandis; sic etiam unanimes non docet, 1^o. Concilium generale esse Papâ superius; 2^o. non sufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem, ex solo pœnarum metu conceptam, et necessarium esse amorem Dei super omnia, saltem inchoatum; quam tamen veritatem revelatam esse, postea demonstrabimus.

Quæres 3^o. Quomodo se gerere debeant, qui veritates quasdam revelatas, contra multos, in Ecclesia tenent.

Resp. 1^o. Hujusmodi veritates eò studiosius diligentiusque docere, ac tueri debent, quò majoris sunt momenti, ad vitam christianè instituendam: eas enim spectent oportet, ut pretiosum quoddam depositum, quod ipsorum curis et laboribus commissum voluit Ecclesia, cujus nomine eas defendunt. 2^o. Doctrinæ suæ rationem reddant, eamque omni argumentorum genere muniant necesse est: nam licet Ecclesiæ nomine doceant, non tamen *infallibilem* ipsius auctoritatem habent. Quapropter ipsis enitendum est, ut rationum gravitate vincant, cum auctoritate solâ vincere non possint. 3^o. Pacem, concordiam, et sinceræ caritatis sensus erga eos retineant, qui aliter sentiunt, et illos æquo animo ferant, quos ipsa patienter tolerat Ecclesia, donec suo tandem judicio rem ad liquidum perduxerit, et controversiis finem imposuerit.

